

De Captione Fratris Jordani de Padua.

Post hæc Dominus *Eccelinus* providus & discretus, invento, quod frater *Jordanus* Hypocrita cum pluribus contra Imperatorem conspiraverat, volentes civitatem Paduæ de manibus & potentia Domini Imperatoris eripere, ipsum fratrem *Jordanum* captum misit in partibus suis custodiendum, donec Dominus Imperator venerit. Et cum *Episcopus Paduanus* de hoc fuisset indignatus, & cum maxima multitudine Clericorum & Religiosorum venisset coram ipso Domino *Eccelino*, increpando & redarguendo ipsum, quod tantæ fuerat præsumtionis, ut in ipsum fratrem *Jordanum* manus injiceret violentas; ipse hoc audito, ira & indignatione maxima commotus, nolens ab aliquibus, laicis vel clericis, in opprobrium sui & Imperatoris impune contemni, ab ipso *Episcopo* pignus duo millium *marcarum argenti* abstulit incontinenti, & eidem de prædicto facto imposuit silentium, pro quo facto plures religiosi, quasi culpabiles sceleris, de Civitate fugerunt.

Post hæc die Veneris proxime venientis ivit Dominus *Albericus* ad exercitum Veronensium cum *Vicentinis*, & apud castrum *S. Bonifacii* castra metatus est cum trabuchis, illud castrum fortiter expugnando. Et Dominus *Eccelinus* cum exercitu Veronensium ibi die Lunæ præcedentis positus erat ad obsidionem, & Commune *S. Bonifacii* cum *Lombardis* obsidendo *Pisberiam*. Die Jovis XII. exeunte hoc mense Augusto, separaverunt se ab obsidione, & data fuit illius loci potestas per pactum tantum amicis Dominorum de Romano & suæ parti de *Brixia*, ut haberet occasionem recedendi.

*Explicit hic Historia Gerhardi Maurisi Judicis & Crois
Vicentini.*

VII.

SENTENTIA ARBITRALIS IOHANNIS REGIS
FRANCIÆ SUPER CONTROVERSIA HONORIS ET AP-
PELLATIONE AD DUELLUM, INTER OTTONEM DUCEM
IN BRUNSWICH ET HENRICUM DUCEM LANCASTRÆ
IX. DECEMBR. MCCCII.

Ex MSto.

Iohannes Dei gratia Franc. Rex. Ad perpetuam rei memoriam notum facimus universis præsentibus & futuris, quod cum super eo, quod datum fuerat intelligi seu relatum per quosdam, *Ottoni Duci in Brunswich*, quod *Henricus Dux Lancastriensis* in summa ecclesia Sancti Petri Coloniensi, præsentibus quibusdam nobilibus & aliis, dixerat quædam verba in injuriam seu infamiam personæ & honoris dicti Ducis in Brunswich, ut sibi videbatur; idem Dux in Brunswich relationem hujusmodi credens veram, & propter hoc in hac parte honorem & famam suorum cupiens pro viribus conservare, quasdam suas patentes literas suo sigillo sigillatas misisset dicto Duci Lancastriæ, inter cætera continentes, quod dictus Dux Lancastriæ dixerat quædam verba inhonesta contra eum, & quæ non erant vera: quod offerebat idem Dux in Brunswich suo proprio corpore & rebus contra & supra proprium corpus dicti Ducis Lancastriæ ostendere infra castrum de *Gunis* (a) & Sanctum *Audomarum*, vel ubi nos certum locum duceremus dictis partibus assignandum; & ex parte dicti Ducis Lancastriæ, salvo conductu a nobis petito & obtento pro certis nunciis ad nos per ipsum transmittendis pro colloquio habendo cum dicto Duce in Brunswich, & pro honore suo contra eundem Ducem in Brunswich conservando, & præterea dicto *Otone* Duce in persona propria pro se & *Thoma Coch* & *Stephano de Cuisentona* (b) militibus ac *Stephano Remillon* domicello dicti Ducis Lancastriæ, specialibus nunciis destinatis, *Par* (c) in ecclesia beate Mariæ convenientibus, ipsi Nuncii dicti Ducis Lancastriæ dicto *Otoni* Duci præsentassent quasdam literas patentes, sigillo dicti Ducis Lancastriæ sigillatas, tenore literarum sibi missarum per dictum Ducem in Brunswich continente, per quas cupiebat & petebat idem Dux Lancastriæ, quod dictus *Otho* Dux sibi responderet, si literas suas, quarum transumptum inferebatur in literis ejusdem Ducis Lancastriæ supra dictis *advocare* (d) volebat. Qui quidem *Otho* Dux *advocans* literas suas, prout eas miserat dicto Duci Lancastriæ, petebat sibi per prædictos nuncios exhiberi quasdam alias literas, quas intellexerat ipsos habere sibi missas per dictum Ducem Lancastriæ, ut inde plenius

(a) Guynis.

(b) An *Cuisentona*; infra *Cuisentia*.

(c) *Parisius*.

(d) Id est *agnoscere*.

nus deliberare posset: aliquibusque altercationibus propositis, hinc & inde inter partes eadem, & exhibitis illis literis, quas petebat idem Dux in Brunsvich exhiberi, continentibus in effectu, quod quia dictus Dux in Brunsvich dictas literas suas advoabat, & contenta in eis manu tenere volebat, sæpè dictus Dux Lancastria sub auxilii divini & justæ suæ defensionis confidentia, ut dicebat, contra dictum Ducem in Brunsvich in loco congruo, ubi eidem Duci Lancastria iustitia fieret & ratio, & quæ sicut uni ita & alteri esset rationabilis & secura, quatenus militem facere deceret & honori suo congrueret, idem Dux Lancastria se defenderet, prout latius in præfatis suis literis legebatur: memoratus Dux in Brunsvic advoans & acceptans literas suas, quas miserat & sigillo suo sigillatas, secundum quod in originali eas miserat, & eas offerens sustinere & adimplere per se vel per *Advoatum* suum in casu necessitatis; suum vadium projecisset coram nobis & nostro consilio, salvis suis intentionibus & protestationibus de equis & armis, Advoato, & aliis in tali casu necessariis & consuetis. Requirens nihilominus à dictis nunciis & eorum quolibet, ut dictum vadium nomine dicti Ducis Lancastria recipere & eidem portarent; dictis Nunciis dicentibus, quod præfatus Dux Lancastria defensionem causæ duellaris hujusmodi sibi soli retinuerat, se sano & incolumi existente inhibendo dictis Nunciis, ne de dicta causa seu defensione duellari se intromitterent quoquo modo, prout per quasdam patentes literas dicti Ducis Lancastria, quas legi fecerunt in iudicio, poterat apparere: ex quo nuncii ipsi dicebant, quod auri non essent dictum vadium recipere vel portare, attentâ inhibitione eis factâ & potestate limitatâ per eundem Ducem Lancastria super hoc sibi data: & tandem post aliqua proposita per partes eadem, salvo & seculo conductu concessa dicto Duci Lancastria pro se & sua comitiva ad requestum dicti Ducis in Brunsvich pro facto hujusmodi adimplendo, quia prædicti Nuncii prætendebant nullam super hoc potestatem habere, nisi ad referendam super hoc dicto Duci Lancastria responsionem dicti Ducis in Brunsvich, & quod super hoc facere intendebatur, ambabus partibus petentibus literas testimoniales de prædictis concedi; diemque & locum sibi super hoc assignari: primâ die proximè præteriti mensis Septembris dictis partibus ad comparandum propter hoc coram nobis & ad referendum ex parte dicti Ducis Lancastria intentionem suam super hoc assignassemus *Par.* (e) coram nobis. Adveniente itaque dictâ die & propter quorundam negotiorum nostrorum occupationem continuatâ usque ad quartam diem dicti mensis Septembris, apud sanctum Dionysium in Francia dictus Dux in Brunsvic personaliter pro se ex una parte; & Stephanus de Cuisenton miles, & Stephanus Remillon Scutifer procuratores, & nomine procuratorio ipsius Ducis Lancastria, & pro ipso ex altera comparuerunt coram nobis, & petentes dicti Nuncii ab ipso Duce in Brunsvich, si in suo priori proposito persistere volebat, & literas suas & contenta in eis advoare, prout alias obtulerat se facturum, dicebant, quod in causa hujusmodi dictus Dux Lancastria tanquam defensor illud vadium acceptabat & acceptare volebat, prout per quasdam patentes literas sigillatas sigillo dicti Ducis Lancastria, quas legi fecerunt in iudicio, poterat apparere: exhibentes nihilominus alias patentes literas ejusdem Ducis Lancastria, per quas eis & duobus eorum dabat potestatem expressam ad acceptandum in casu prædicto nomine ipsius & pro ipso dictum vadium defendendo, & projiciendi ex adverso vadium suum, defendendo contra dictum Ducem in Brunsvich, si esset opus, prout in eisdem literis cavebatur. Quod quidem vadium dicti procuratores & nuncii virtute dictæ procuracionis in casu prædicto nomine dicti Ducis Lancastria & pro ipso & ad conservationem honoris sui & famæ recipere offerebant & projicere vadium pro ipso Duce Lancastria & ad defensionem prædictam, si esset opus, contra dictum Ducem in Brunsvich; salvis suis retentionibus & protestationibus de equis, armis & Advoato in casu necessitatis & aliis necessariis & consuetis: dictus autem Dux in Brunsvich dicebat & proponebat ex adverso, quod procuratores ipsi erant minus sufficienter fundati, cum ipsi plenariam potestatem agendi & defendendi debuissent habere, & ipsi solam potestatem defendendi exhibuerunt, addens idem Dux, quod nunquam in causa hujusmodi se tenuerat pro Actore seu Appellante, perseverabat tamen in suo proposito, & volebat sustinere contenta in suis literis supra dictis, suum vadium propter hoc iterato projiciens coram nobis, salvis suis retentionibus & protestationibus, ut supra; adjiciens, quod quia dictus Dux Lancastria dicta verba primitus protulerat in diffamationem personæ & honoris ejusdem Ducis in Brunsvich, idem Dux Lancastria Actor seu Appellans reputari debebat: nihilominus offerebat idem Dux in Brunsvich tanquam appellans seu defendens, prout nobis & nostro consilio videretur, ipsum adhuc teneri dictas literas, [&] contenta in eis manu tenere & adimplere: dictis Procuratoribus ex adverso proponentibus & dicentibus, quod ex quo dictus Dux in Brunsvich dictum vadium nunc & aliàs projecerat contra dictum Lancastria & obtulerat ipsum demutare, prout ex tenore literarum suarum apparere dicebant; ista verba manifestè sonabant, quod ipse Dux in Brunsvich erat appellans, & in casu, quò vellet hujusmodi propositum variare procuratores ipsi dicebant, quod servato honore Domini Ducis Lancastria recedere poterant & debebant; projicientes nihilominus

(e) Parisius,

ominus, prout superius projicere obtulerant, vadium suum in casu defensionis nomine ipsius Ducis Lancastriæ & pro ipso, salvis suis retentionibus & protestationibus, ut est dictum, plures rationes ad finem hujusmodi allegando.

Auditis igitur partibus & consideratis tenore literarum suarum & aliis agitis in causa, dictum fuit per iudicium seu arrestum, quod dictus Dominus in Brunsvich in causa hujusmodi debebat Appellans reputari, & tanquam Appellans prosequi causam ipsam de ratione tenebatur: & dictus Dux Lancastriæ se defendere jure defensoris, ex aduerso pro defensione suæ famæ & honoris, & ad faciendum duellum super hoc partibus petentibus diem & locum sibi propter hoc assignari, eligentibusque nos in iudicem in hac causa, quartam diem præsentis mensis Decembris in prato Clericorum prope Parisius duximus assignandum. Quibus Ducibus accedentibus ad nos propter factum hujusmodi, nos pro evitandis periculis personarum suarum & ad conservationem honoris utriusque, de pace & concordia tractari fecimus inter eos per carissimos & fideles filios nostros Regem Navarra & Delphinum Viennensem primogenitum nostrum, vocatis secum pluribus de consilio nostro: sed ad pacem & concordiam ad plenum partes ipsæ super hoc nequierunt tunc poni; postmodum verò adveniente die dicti duelli, ambo Duces prædicti in prædicto loco eis assignato se sufficienter præsentarunt, decenter armati in equis & armis, ejectisque lanceis, parati hinc & inde, pro conservatione honoris sui honorifice, strenue & valenter suum debitum facere de prædicto duello. Et propter hoc nos attendentes, quod tam strenue, tam valenter & honorabiliter ipsorum Ducum quilibet intendebat ad conservationem honoris sui & famæ, & quod de tam nobili genere processerunt, quoad invicem conjungi (f) dicuntur, nec non & quod factum hujusmodi sumit originem ex verbis solummodo, de quibus nihil erat effectualiter subsequutum, & quorum declaratio per neutram partem facta fuerat, præterea quod durum esset, quod tam Nobiles tamque valentes & strenui pro tam modica occasione incurrerent periculum aut dedecus personarum suarum; ipsos requiri & rogari fecimus per tractatores prædictos & alios de nostro consilio, ut pro talibus periculis evitandis vellent consentire, quod super facto hujusmodi & dependentiis ex eodem ordinare possemus, prout videremus ordinandum; quod unanimiter concesserunt, se specialiter submittentem ordinationi nostræ de alto & basso super præmissis omnibus & dependentiis ex eisdem. Cujus submissionis & potestatis super hoc nobis data virtute, & autoritate nostræ regis Majestatis, præmissis consideratis, dictos Duces & eorum quemlibet reputavimus, iudicavimus & etiam declaravimus per præsentem, strenuos, valentes & fideles milites in hoc casu, & quod eorum quilibet suum debitum fecerat & honorem servaverat valentissime in hac parte; ipsosque simul & semel per carissimum & fidelem consanguineum nostrum Constabularium Franciæ extra campum duci fecimus, servatò honore cujuslibet, prout in tali casu potuit & debuit, & est in talibus fieri consuetum. Reservantes ulterius ordinare pro certiori & laudabiliore conservatione honoris utriusque, prout videmus (g) faciendum. Demum igitur nos considerantes, quod verba, quæ relata fuerunt, dicto Duci in Brunsvich, & quæ manu tenebant dictum Ducem Lancastriæ dixisse de eo in ecclesia Colonienfi prædicta, super quibus dictum Ducem Lancastriæ provocaverat seu appellaverat coram nobis, & quæ nobis idem Dux in Brunsvic ore tenus declaravit; nec non verba etiam, quæ dictus Dux Lancastriæ nobis dixit & recitavit ore suo in fidelitate sua talia, sicut dicta ex parte sua fuerant in ecclesia supra dicta; quæ sunt alia, quam ea, quæ dictus Dux in Brunsvic intellexerat, & quæ sibi relata fuerant, nec erant dicta verba super certo, sed de auditu dici duntaxat: super quibus vadium seu duellum, si ab initio declarata fuissent, non cadebat aut cadere seu iudicari de ratione & per usus & consuetudines Franciæ non debebat; advertentes etiam, quod in facto hujusmodi strenue, honorabiliter & valenter se gesserant, ut præfertur, nec non & quod ipsi de longinquis partibus venientes & de nostri & curiæ nostræ justitia firmiter confidentes, nostrum subire iudicium & ordinationem stare de præmissis omnibus liberaliter elegerunt; ne videamur tam valentes viros strenuos & fideles ob tam modicam causam velle incurrere periculum & dedecus personarum & honorum suorum & generis eorundem; similiterque aliis consideratis & attentis, quæ nos monere poterant & debebant, pronunciamus & diximus, pronunciamusque & dicimus virtute submissionis, & potestatis & autoritatis regis prædictarum, prout alias in campo dici feceramus, per nostram sententiam & pronunciationem arbitralem & ordinationem, quod quilibet dictorum Ducum bene, honorabiliter & valenter servavit honorem suum in hac parte, annullavimusque & etiam annullamus dictum duellum vadium, & quicquid inde secutum est et potest sequi: volentes et ordinantes, quod alter eorum alterum firmiter et verè teneat bonum, legalem et fidelem militem, et tales eos, quoad hic veraciter et firmiter tenemus; ordinantes etiam, quod alter eorundem promittat in manu nostra alteri bonâ fide, quod alter eorum alteri per se vel per amicos suos aut alias aliquâ viâ non faciet nec procurabit quicquam mali sive damni ullo tempore, publicè vel occultè, occasione præmissorum. Qui quidem Duces [ut] in præmissis præsentem, dictam sententiam,

G

pronun-

(f) Forte: quæ & invicem conjuncti (id est cognati,) dicuntur.

(g) f. videbitur.

pronunciationem et ordinationem et omnia et singula in eis contenta humiliter approbantes, ea emologarunt, et contenta in ea promiserunt, fide in nostris manibus positâ et traditâ, tenere firmiter, et inviolabiliter observare, et contra ea seu eorum quilibet non venire vel facere quomodolibet in futurum. Et ut hæc omnia manifesta sint, perpetuò ad conservacionem honoris utriusque dictarum partium præsentem literas patentes nostrò magnò sigillo sigillatas eisdem et eorum cuilibet duximus concedendas. Datum et actum Parisius die IX. Decembris, anno Domini millesimo tercentesimo quinquagesimo secundo.

In ambitu sigilli viridi cere
impressi, literis majusculis:

JOHANNES, DEI GRATIA FRAN-
CORUM REX.

*In parte infima hujus instrumenti
membranacei*

Per Regem in magno Consilio suo

LUYS SIMON P.

VIII.

EXCERPTA

DE

GESTIS OTTONIS TARENTINI, DVCIS

BRUNSVICENSIS

EX THEODORICO DE NYEM ET GOBELINO
PERSONA.

EX THEODORICI DE NYEM LIB. I. DE SCHISMATE.

Cap. VI.

*De Ottonis Ducis Brunsvicorum ac Joannæ Reginae Siciliae uxoris suæ in urbani-
num studiis.*



Qvod Vrbanus ipse ita profiliit ad increpationes indiscretas & nimium repentinas, causa fuit, quia quondam domina *Ioanna regina Hierusalem et Siciliae*, quam postea idem Vrbanus Siciliae regno privavit, audiens eum ad Papatum promotum esse, gavisa fuit gaudio magno valde, ac per multos dies Neapoli luminaria multa more illius patriæ, per totam civitatem in crepusculo vespertino, ad honorem dicti Urbani incendi fecit, nec non ambasiatores ipsi reginæ pereundem Urbanum statim post electionem suam destinatos benignè recepit, et multis grandibus et liberalibus donariis prævenit, ipsique Urbano XL. milia ducatorum in auro partim, et partim in moneta argentea in illo principio destinavit: nec non paulo post vina, et blada ac carnes falsas, et caseos per mare in navigiis, in magnis quantitibus sibi transmittendo, regnum quoque suum et omnia quæ habebat, sibi obtulit, credendo eum sibi semper remanere benevolum. Et ab alio latere ille quondam pater principum, et norma nobilium scilicet dominus *Otto dux Brunsvicensis, & princeps Tarenti*, maritus dictæ reginæ, qui etiam prædictum Urbanum ante ipsius Papatum summe dilexit, et quantum potuit per dictum Gregorium Papam paulo ante ipsius obitum ad faciendum pacem inter Romanam ecclesiam colligatos, ad Tusciæ et Liguriæ partes destinatis omnibus per ipsum fideliter et prudenter pro ipsa pace reformanda inter easdem partes disceptantes compositis ad eandem urbem rediit circa ipsa festa Paschalia, cum bonis novis pacis hujusmodi conclusæ reperiendo ipsum Gregorium interim vita functum, qui etiam exhilaratus vehementer de promotione dicti Urbani sibi obtulit se et sua.

Cap.